# DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# HÆMOPTYSI.

# DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE HÆMOPTYSI;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRÈTO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS DONEGAN,

HIBERNUS,

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

*Die VIII. ante Kal. Julias, horâ locoque solitis.*

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1809.

ALEXANDRO CAMERON,

SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORI,

EPISCOPO MAXIMIANOPOLITANO,

VICARIOQUE APOSTOLICO IN PLANIS

SCOTIÆ;

HANC DISPUTATIONEM INAUGURALEM,

DEVINCTI GRATIQUE ANIMI TESTIMONIUM,

OMNI AMICITIA ET OBSERVANTIA,

D. D. D.QUE

JACOBUS DONEGAN.

# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# HÆMOPTYSI.

---

HÆMOPTYSIS feliciter a CULLENO definitur : " *Genarum rubor ; molestiæ aut doloris, et aliquando caloris, in pectore sensus ; dyspnœa ; titillatio faucium ; tussis aut tussicula sanguinem floridum, sæpe spumosum, rejiciens.*"

Hic morbus medicorum attentionem hoc nomine potissimum vindicat, quod sæpe inter prænuntia morbi gravissimi habeatur ; in quo debellando, tam parum adhuc profecit

medicina, ut vix quidem ad dura ejus signa sublevanda valuit. Morbus autem, de quo stricte disserere consilium est, remediis rite adhibitis, haud raro cedit. Cum itaque ars opportuna in auxilium vocata, impediat ne hæmoptysis in phthisin pulmonalem degeneret; ad malum adeo funestum præcavendum, omnibus viribus incumbere debemus.

## *HISTORIA MORBI.*

Cum hic morbus sine ulla causa vehementi et subita aggreditur, sensus ponderis, anxietas quædam pectoris, levis spirandi difficultas, et caloris sensus sub sterno, sanguinis profluvium e pulmonibus prægrediuntur. Titillatio quædam in superiore laryngis parte, irritando, tussim movet, quacum sanguis rutilus

et spumans denuo erumpit. Sputa cruenta in iis, qui huic morbo assueti fuerint, sine ullo fere conatu vel tussi facile prodeunt, nec omnia signa supra tradita una comites adjungunt. Sapor salsus sæpe percipitur, antequam sanguis ad os pervenerit.

---

## *CAUSÆ PRÆDISPONENTES.*

Multa quæ corpus ad alia sanguinis profluvia opportunum reddunt, hæmoptysi quoque proclivitatem præbent. Hinc homines temperamento sanguineo præditi, et quibus acrior vis sentiendi, huic morbo præ cæteris obnoxii sunt: huc quoque spectat pectus haud bene constitutum, vel pro rata magnitudine corporis minus amplum.

Inter tempus quo pubertas advenit et adultam ætatem, hic morbus impetum facere maxime consuevit. Non desunt tamen exempla, ubi ad ætatem multo provectiorem delituit, denuo erupturus; et Heberden, septuagenarii hoc morbo laborantis casum protulit. Hæmoptysis quoque in iis compage corporis magis delicata et molli instructis, sæpe conspicitur. Evacuationes solitæ, vel deficientes vel repressæ, ad hunc morbum gignendum sæpe conferunt; hinc in mulieribus, solitus menstruorum fluxus cohibitus, frequenter eundem parit. Omnes causæ quæ nimiam vasorum plenitudinem efficiunt, hic jure referri possunt. Quandoquidem morbus in debilibus et exhaustis sæpe originem habeat, duos corporis status, sibi mutuo oppositos, hæmoptysi viam sternere, et eam, vel e nimio vigore, vel corpore debili et relaxato pendere crederemus. Quodcunque in tali debili corporis statu sanguinem uberius justo dirigat, ad hunc morbum concitandum valebit. Idem quoque eveniat, dum

vires firmissimæ sunt, si vasa, insolita copia sanguinis oppressa, inæquali vi agant. E fabrica pulmonum admodum tenera et delicata, eos hæmorrhagiis valde opportunos existere concludendum est; nec minus æquum est colligere hujusmodi sanguinis eruptiones facilius esse orituras eo vitæ tempore, cum vasa sanguifera maximam vim adepta sunt; quo fit, ut facile talem actionem suscipiunt, quæ sanguinis fluxum tandem afferat.

Ex dictis, facile patet hæmoptysin, e quibuscunque causis quæ faciunt ut sanguis præter modum sanitati congruum in pulmonibus congeratur, oriri. Vasa enim tali onere distenta, auctam actionem suscipiunt, qua sanguis denique, vel ruptura vel anastamosi ex iis erumpat. Quare hæmorrhagia semel facta, iterum facile redire consuevit, haud forsan difficile explicatur. Si enim causæ adhuc perstant, quæ morbum primum excitaverint, vasa hunc morbum olim passa, præ cæteris dila-

tata et relaxata congestione, iterum facilius patent. Nec minus notatu dignum est, quod profluvia sanguinis sæpius facta, haud parum ad nimiam vasorum plenitudinem conferant. Hujus rei rationem reddere aggressus est CULLENUS, majoribus ita debilitatis et relaxatis, ut non bene valeant ad sanguinem in extremos ramusculos propellendum: hinc excretiones languescunt; haud facile iterum ad pristinum statum restituendæ; nimia itaque sanguinis abundantia colligitur, modo ingestarum copia haud imminuta sit.

Idem quoque auctor egregie disputavit, de causis quibus efficitur, ut sanguis e quibusdam corporis partibus præ aliis certis vitæ temporibus educeretur. Circa tempus quo corpus debitum incrementum adipisci solet, et arteriæ jam rigidiores factæ, semet amplius distendi haud sinunt. Si justum equilibrium inter vasa diversa haud rite servatum fuerit, vitium pulmonibus maxime incumbere debet,

quod eo certius obtineat, si prava pectoris formatio spatium solito angustius iis concesserit.

---

### *CAUSÆ EXCITANTES.*

Inter causas hujus morbi excitantes, recensendæ sunt omnes quæ motum sanguinis per pulmones nimis incitant: hinc nisus quidam graviores, exercitatio vehemens, acriores animi motus, præsertim ira et gaudium subitum, in hoc morbo concitando plurimum pollent. Calor corporis auctus stimulo suo, sanguinem nocivo impetu versus quasdam partes deferat: hoc itaque modo, si corpus proclive jam factum fuerit, hæmorrhagiam facile moveat; vel ipse, sine ulla prædisposi-

tione, faciat ut sanguis in quibusdam partibus morbide congeratur, et tandem prorumpat.

Insolita aëris atmosphærici raritas, causis hujus morbi excitantibus annumerata est: hinc hominibus machina (*Air Balloon* dicta) in æthera ascendentibus, sanguis e naribus profluxisse fertur. Idem ex acclivium scalarumque ascensu nonnunquam evenit; et sane omnes causæ quæ faciunt ut sanguis nimius in pulmonibus confluat, iis ad hæmoptysin proclivibus morbum concitabunt: hinc in hominibus temperamento sanguineo insignitis, sanguine plenis, et acriter sentientibus, quodcunque liberum et æqualem sanguinis motum vel leviter interturbat, morbum de quo sermo est inferat. In debilioribus quoque, vel iis valetudine minus firma utentibus, insolita cujusvis distensio vasorum rupturam inducat, vel vis a tergo adaucta sanguinem in extremos arteriarum ramusculos ita urgeat, ut tan-

dem effundatur in cavitates quas hæc vasa adeunt.

Hæmoptysis semel oborta, e causis excitantibus iterum admotis, ad redeundum admodum proclivis est. Quod ad modum operandi quo hæ causæ hæmoptysi occasionem præbeant, vel abnormem sanguinis impetum, vel copiam versus quasdam partes dirigunt, quibus arteriarum actio ad rupturam usque intendatur; vel ex earum finibus debilitatis, sanguis per eas in cellulas pulmonum impellitur. Hoc autem sanguinis profluvio, congestio et nimia vasorum actio tolluntur, quo facilius iterum concrescant. Pars vero ulla corporis, hujusmodi vitium semel passa, reditui ejus, ex iisdem causis etiam levioribus admotis, admodum prona existit. Nimia præterea sanguinis abundantia accedente, morbi recidivi ratio in promptu erit.

---

## DIAGNOSIS.

In hoc, haud secus ac in aliis exemplis, ut morbus ab aliis omnibus accurate distingueretur, plurimum interest. E diagnosi enim in hoc morbo rite instituta, ad spem ægri omnia pessima timentis erigendum sæpe valemus, cum natura morbi penitus perspecta, nullum phthiseos pulmonalis imminentis esse periculum suadeat. Utrum sanguis itaque e pulmonibus, vel a naribus, faucibus, vel ventriculo prodeat, summa cura statuendum est. Sanguine e naribus, gingivis, vel faucibus erumpente, morbus periculo prorsus caret; nec sanguinis profluvium e summa larynge provenientem, multum mali portendit. Sanguine e faucibus vel naribus effuso, tussis raro adest;

et ex his partibus inspectis, fontem ejus explorare valemus. Memoria quoque tenendum est, sanguinem raro ex his partibus prodire. Porro, ad veram morbi naturam detegendam, ægri habitus bene perpensus haud parum conferat. An ulla igitur proclivitas ad morbum subesset, sedulo inquirendum. Nec minus refert, causas morbi remotas, quæ corpori admotæ fuere, probe perspectas habere.

Haud levis est momenti, ut, an hæmatemesis vel hæmoptysis ægrum teneat, dijudicemus. Multa igitur signa, quæ discrimen faciunt, ab auctoribus medicis prolata fuere. Ad colorem sanguinis profusi respicere debemus, qui floridus, scaturiginem ejus e pulmonibus repetendam esse monet. Si sanguis ex aëre commixto itidem spumosus fuerit, eo certius ad eundem fontem relegandus est; ex hoc enim signo modo adfuerit, natura morbi satis plerumque elucet, haud raro tamen abest. Sanguis e ventriculo rejectus, colorem potius

nigricantem exhibet, et ventriculi contentis fere admiscetur. Scire quoque refert an vomitus tussim, vel hæc illum præcesserit; an adsit oppressionis et ponderis sensus, qui in hæmatemesi ad ventriculum referri solebat. Huic quoque morbo fœminæ præ maribus magis obnoxiæ esse dicuntur. Ventris status ad diagnosin stabiliendum plurimum conferat; insuper arteriarum pulsus magis subito sese submittunt, cum sanguis e ventriculo erumpit.

## *PROGNOSIS.*

Quo judicium de hujus morbi eventu accuratius feramus, ad causas ejus remotas potissimum respiciendum est. Hæmoptysis in fœminis e menstruis suppressis excitata, morbus

plerumque levis est. Cum quoque in hominibus robustis, nulla labe phthisica corruptis, e causis validis excitantibus oboritur, morbum feliciter esse cessurum prædicere liceat. In prognosi autem statuenda, haud minus expedit signa, quæ morbum ipsum comitantur perpendere, quam ad ejus causas advertere. Tussis assidua et molesta, cum motu febrili, in intervallis ab hoc morbo vacuis, perstantes, cibi appetentia imminuta, et vires corporis et animi resolutæ, morbi gravioris metum incutere debent, et promptissimam medici opem ad morbum arcendum efflagitant. Si morbus homines ad phthisin opportunos adoriatur, res periculi plenissima est, quippe ad ulcera gignenda conferre potest, vel, vasorum pulmonis actionem incitando, tuberculorum inflammationem suscitet, quæ aliter delituerint, nec unquam talem actionem suscepissent.

In hominibus qui hunc morbum e labe hæreditaria contrahunt, sanatio maxime difficilis

est. HEBERDEN nos certiores facit, se cognovisse ægros per plures annos hoc morbo laborantes, etsi spirandi difficultas et alia signa morbum comitata sunt, quæ summum periculum denotare crederemus: exemplum ægri septuagenarii, qui per quinquaginta annos a hæmoptysi nunquam penitus immunis fuisset, satis commoda valetudine fruentis. Idem auctor, se unum tantum ægrum vidisse, qui e nimia et subita sanguinis jactura, statim occubuit. CULLEN quoque hunc morbi finem rarissimum esse monet. HEBERDEN exemplum ægri per biennium superstitis protulit, etsi per totam mensem sanguinis libram quotidie exscreavit. Utcunque autem exempla haud pauca afferri possunt, in quibus hic morbus sine ulla gravi noxa erupit, nunquam periculi expers habendus est, et opera semper sedulo danda est, ut quamprimum tollatur.

---

## *RATIO MEDENDI.*

Medendi consilia in morbo præsenti summovendo, et in reditu ejus præcavendo, maxime versantur.

Hic non operæ pretium foret excutere sententiam, quæ hæmorrhagias inter salubres excretiones esse reponendas contendit. Profluvio sanguinis congestionem tolli, et inflammationem arceri posse, nemini dubium est. Tenera autem pulmonum fabrica, et periculum, ne morbus recidivus phthiseos pulmonalis fundamenta tandem jaceat, corporis plenitudinem ex qua morbus proficiscatur, alia via esse imminuendam plane docent.

Cum omnia quæ motum concitatiorem et febrilem sustineant, ad hunc morbum inducendum valeant, regimine antiphlogistica, quantum ægri vires id ferant, plane opus est. Nec venam tundere alienum erit, modo vires ægri et arteriarum ictus tale auxilium postulent; quo felicius cedat, sanguis ex amplo vulnere subito educendus est; hinc nimius impetus sanguinis melius inhibetur, et vasa rupta facilius conglutinantur. Quo melius res procedat, refrigerantia potui affatim danda sunt; et irritamenta, e fæcibus in intestinis collectis, purganda iis quæ leniter alvum ducunt. Frigida pedibus subito affusa, ad fluxum sanguinis e pulmonibus erumpentis cohibendum, insigniter valet. Si ulla tamen inflammationis indicia adfuerint, minime convenit. Iidem effectus, minore autem gradu, ex aqua frigida in ventriculum assumpta, proveniunt.

Cum diathesis phlogistica subacta fuerit, ad opium tuto, et haud sine fructu, confugi-

tur; quod instantibus convulsionibus maxime necessarium erit.

Epispastica a nonnullis auctoribus, usui plurimum commendata fuere, et, ut a BURSERIO accepimus, DE MARTENS, ea, in tussi sedanda, et sputo cruento cohibendo, feliciter adhibuit, cum jam alia remedia, passim laudata, frustra expertus esset. BURSERIUS quoque, aquam frigidam, et extrinsecus admotam et intus assumptam, egregie laudibus effert. Idem auctor mucilaginosa commodo haud caruisse testatur.

Enitendum est sedulo, ne hæmoptysis iterum redeat. Cum, e nimia vasorum plenitudine, ad redeundum maxime proclivis sit, huic vitio occurrendum est diæta tenui, e terra natis maxime confecta, omnibus quæ mentem vel corpus præter consuetudinem commoveant assidue evitatis, et alvo potius soluta; ne autem catharticis acrioribus incitetur, cavendum.

Modica et lenis corporis exercitatio neutiquam prohibenda est. Navigatio suos habuit laudatores, et vomitum ab ea concitatum nullos malos effectus edere perhibetur; quod sane fidem majorem conciliat opinioni eorum qui emetica inter hæmoptyseos auxilia esse reponenda contendunt.

Si corporis vires plurimum infractæ fuere, tonicis, frigidario, diæta nutriente minime autem stimulante, instaurandæ sunt. De cinchona et ferri præparatis in hoc morbo adhibendis, multi dubii hærent; quædam autem tonica medicamenta, acidum sulphuricum scilicet, et super-sulphas aluminis, in temporibus a morbo vacuis prodesse dicuntur.

Nonnulli auctores contendunt, remedia astringentia vix ullos bonos effectus edere, nisi in eas partes quibus proxime admoveri queant; et perhibent igitur vix aliquid boni ex iis sperandum in internis hæmorrhagiis, nisi e

primis viis sanguis profluxerit. Huic autem opinioni adversatur summa CULLENI auctoritas, qui, longa experientia edoctus, ea etiam, in internis profluviis compescendis, haud parum prodesse comperit.

Nec rationi absonum videtur, actionem astringentium, qualiscunque is fuerit, consensu isto insigni, qui inter omnes corporis partes intercedit, longe propagari posse.

Inter remedia hujusmodi validissima acetis plumbi merito recensetur. In gravioribus tantum exemplis morbi adhibetur, cum mitiora spem fefellerint, et grave periculum e sanguinis profluvio imminet. Dimidium grani acetitis plumbi, una cum paucis tincturæ opii guttis conjunguntur, quarta quavis hora assumendum est ; et dosis ad semigranum adaugeatur. Cum autem hoc medicamentum, etiamsi copia admodum exigua assumptum, noxam dirissimam corpori afferat, medici ad

remedium tam periculosum raro confugiunt. Sic enim habemus HEBERDEN confitentem, "cerussæ acetatæ grana tria singulis diebus "sumpta, per quatuor dies, initium dederunt "alvo astrictissimæ, fastidio et torminibus."

Digitalis purpurea, ex vi notissima qua pollet arteriarum pulsus imminuendi, in auxilium hoc morbo ægrotantium feliciter advocata est. Remedium paratissimum in iis hæmoptyseos exemplis, quæ motum sanguinis concitatiorem et pulsum validum et frequentem sibi adjungunt. Nec aliud existit præsidium, ad quod sæpius decurritur, cum signa phthisin pulmonalem haud procul abesse testantur. In hoc autem medicamento adhibendo, summa medici prudentia opus est, cum, ex eo temere concesso, pessimi effectus haud raro profluxerint. Forma tincturæ bene convenit, cujus decem guttis bis terve in die incipiendum est, quæ paulatim ad triginta adaugeantur; et ut primum ulla vertiginis vel ventriculi malese

habentis indicia supervenerint, ab ea protinus abstinendum; ne vis ejus nociva in corpore accumulata, subito in actum producta, ægrum in vitæ discrimen adducat.

Si remediis jam recensitis, prout morbi causæ et signa ea postulaverint, in usum revocatis, ad reditum ejus præcavendum valeamus: monendus autem æger hæmoptysin olim perpessus, ut, omnia quæ corporis plenitudinem adaugeant, sedulo evitet. In regimine tamen idoneo instituendo, ad vivendi consuetudinem semper respicere debemus.

FINIS.